

relinquit, evanescunt eminentiæ prædictæ, ut nullius momenti rationem obtineant, præsertim ubi cavitates eminentiarum sive montium valles alternis à tergo montibus substitutis velut æquantur & complanantur, ut circa Jenam hæc fieri videmus.

Quod si verò telescopio inde respiciatur Terra, nullum dubium est, quin discus terrestris inæqualis & quasi ferratus alicubi, præsertim circa montes pyrenæos inter Galliam & Hispaniam, circa Lunares item in extremitatibus Africæ, circa alios alibi sitos, appareat, eminentiis & cavitatibus cum toto disco ampliatis & ita notabilioribus. Scilicet ut eminentiæ lunares (quas in multò majori proportione ad Lunæ corpus esse, quàm montes nostri sunt ad suam Tellurem, recentior ætas telescopio satis accuratè cognovit) visu naturali non apparent in Lunâ, sed adhibito saltem instrumento prædicto; Ita Terræ montes etiam excelsissimi non videntur ex Lunâ, nisi telescopio quodam accurato Selenitæ sint instructi.

Terra igitur è Lunâ nudis oculis spectata videtur discus & quidem perfectè rotundus, nisi forsan, si aëre vaporoso fuerit instructa Luna, discus ejus, refractione circa Horizontem nonnihil compressus, in formam ellipticam degeneret, sicut nobis in Terrâ circa prædictum locum ☉ & ☽ solent apparere, ut observatio quotidiana testatur. Quâ de re videatur *Scheineri libellus egregius*, qui dicitur, *Sol ellipticus*, & *Bettinus Apiario 8. Progymn. 4.*

Coeterùm licet discus hic Terræ Selenitis eâdem sub figurâ semper appareat, non tamen idem est omni tempore, quoad externam suam superficiem, sed alius semper atque alius. Secus ac Lunæ discus nobis hæc conspicuus, qui quoad figuram non tantùm, sed & quoad externam superficiem semper idem manet, ut idem earundem macularum situs monstrat. Cum enim Luna, quod observatio quotidiana testatur,